



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIV. Alexandri Papae III. Ad Evmdem. Propter coronationem
Henrici a diuinis suspenditur, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA XXXIII.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERIVM ARCHIEPISCOPVM
EBORACENSEM.Inhibet illi ne coronet filium regis, cum id debeatur
Cantuariensi.*Alexander seruus seruorum Dei, &c.*

QVONIAM ad audientiam nostram multorum iam pri-
dem relatione peruenit, quod coronatio regum An-
glia & inunctio ad Cantuariensem archiepiscopum de an-
tiqua ecclesiæ suæ consuetudine & dignitate pertineat,
fraternitati vestræ præsentibus literis auctoritate aposto-
lica districtius inhibemus, vt si illustris rex Anglorum fi-
lium suum, dum venerabilis frater noster Thomas Can-
tuariensis archiepiscopus in exilio fuerit, coronari vo-
luerit, & in regem inungi, nullus vestrum ei manum im-
ponere præsumat, aut se exinde aliquatenus intromittere
audeat. Quod si quis vestrum attentare præsumperit, id
in periculum officii & ordinis sui nouerit procul dubio
graui ter redundare. In his vero appellationis remedium
volumus denegari, & omnem malignandi occasionem ex-
cludi. Datum apud Cisuinarium quarto Kalendas Martii.

EPISTOLA XXXIV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD EVMDEM.

Propter coronationem Henrici a diuinis
suspeditur, &c.*Alexander seruus seruorum Dei, &c.*

CVM filium suum rex vester coronari voluerit, con-
tempto Thoma Cantuariensi archiepiscopo, ad cu-
ius officium de antiquo iure dignoscitur pertinere, per
manum tuam, frater archiepiscope in aliena prouincia
diadema regni ei fecit imponi. In coronatione vero illius,
nulla ex more de conseruanda ecclesiæ libertate cautio
iura-

iuratoria est præstita, nec (sicut aiunt) a vobis exacta: sed potius iuramento afferitur confirmatum, ut regni consuetudines iniquæ, sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatae debeant omni tempore conseruari. In quo et si multum prænominati regis vehementia nos conturbat, amplius tamen de vestra & aliorum coepiscoporum vestrorum possumus infirmitate moueri, qui (quod dolentes dicimus) facti sicut arietes non habentes cornua, abiustis absque fortitudine ante faciem subsequentis. Et si forte hoc licere tibi, frater archiepiscope, in propria potuisse prouincia, quomodo tamen in aliena & illius præcipue qui exulare pro iustitia & solus exire voluit, & dare gloriam Deo, tibi licuerit, nec de ratione possumus, nec de sanctorum patrum constitutionibus inuenire. Unde & post tam iniquas consuetudines iuramento firmatas, non adiecistis sumere scutum fidei, ut staretis pro domo Domini in die prælia. Ne autem, si diutius tacuerimus, vna vobiscum in die iudicii damnationis sententia inuolumur, auctoritate sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, cui auctore Deo ministramus, ab omni vos officio episcopalibus suspendimus dignitatis.

EPISTOLA XXXV.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD GILBERTVM EPISCOPVM LONDONIENSEM.

Alexander seruus seruorum Dei, &c.

QVÆ causa venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum, & sedis apostolicæ legatum, a sua sede exulare compulerit, non oportet præsentibus annotare: quoniam & vos præsentialiter aspexitis, & id per totam fere occidentalem ecclesiam fama celebris diuulgauit. Cum autem piæ memoriae Theodaldus Cantuariensis archiepiscopus, prædecessor huius archiepiscopi, Anglorum regi coronam imposuerit, ac per hoc Cantuariensis ecclesia quasi possessionem huius dignitatis habuerit, vos nunc noui regis coronationi, archiepiscopo non præmonito, in eius prouincia ministerium præbere (literis apostolicis id prohibentibus) præsumpsistis: & qui releuare eius exilium qualibuscumque solatiis

Concil. Tom. 27.

Oo